

petimus nō negantes: quoniam sicubi defecimus: eorum culpa fuit qui nobis aliter  
 q̄ se res habet opuscula uestra uel ingenia descripserūt. Lectorem deinde huius ca-  
 talogi monemus & obsecramus: ne facile contra nos moueat: si scriptorum nomi-  
 na: dignitates: patriam: uel opuscula secus exarata inuenerit: q̄ ipse forsitan alibi  
 legit: cum historiarū transacti temporis dissonantiam: nemo unq̄ potuerit concili-  
 are. Neq; nos aliquid scripsimus: quod non multis locis uel testimonijs fuerit com-  
 probatum. Verum sicut in principio hui⁹ operis professi sumus: libenter cedimus  
 opinioni cuiuscūq; beniuoli: correctoris: quā & ueritas solidā: & charitas reddide-  
 rit sinceram. Nouissime uero nobis deridendi sunt æmuli: qui more canum ex con-  
 suetudine pessima latrantes: omnia damnant: omnia uituperant: omnia lacerant:  
 quæ uel ipsi non fecerint: uel suis opinionibus inuenerint esse contraria. Mox em̄  
 ut uel modicū legere cœperint: stomachantes frontem contrabunt: linguam ma-  
 ledicam efferunt: hoc falsum: illud nō uerum esse dicunt: iudices temerarij prius  
 q̄ examinatores ueritatis effecti. Sed quæ nobis causa cum istis: qui nihil uitupe-  
 rant nisi bonum: nihil laudant nisi malū? Cōtemnendi sunt igitur inuidi canes: nō  
 docendi. Nos autē & si displicere maliuolis existimemus gloriosum: bonis tamen  
 & eruditis uiris placuisse multo gloriosius arbitramur: a quibus sicubi erratū esset  
 libenter corripimur: correcti fructuosius emendamur. Excuset nos amor scriptu-  
 rarum: pro quibus hoc onus graue intrepida ceruice subiimus.

**¶** Explicitus est liber de Scriptoribus ecclesiasticis disertissimi patris domini Io-  
 hānis de Trittēhem abbatis Spanhemēsis: Basileæ: Anno domini Millesimo qua-  
 dringentesimo nonagesimo quarto.